

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XV

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

SAMUELE Heymrich

Neogattersleb. Sax.

In Festo Ascensionis Christi.

A. O. R. cl. l. cc. III.

HALLIS SAXONUM.

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegel.

*Generosâ Nobilitate, antiquâ
Gentis prosapia Splendidissimo, excellenti
strenuitate, eleganti eruditionis decore,
Nobilissimo,*

DN. GEBHARDO
ab Alvensleben /

*in New-Battersleben / Lobenitz / Klötha &
Mandaw Hæreditario, Dn. Patrono & Fa-
vitori suo omni observ. prosequendo,*

NEC NON

V I R O

*Amplissimo, Consultissimo, pru-
dentiâ atq; eruditione Eximio,*

DN. CONRADO
SEYFFARTO J. U. D.

*Reipubl. Hall. Oratori Eloquentissimo, vi-
ce-Syndico ibidem Fidelissimo, Pra-
ctico Probatissimo, Salinatori primario,
Promotori & Hospiti suo omni honoris
& observ. magmento ætatē excipiendo,*

causâ

debita officia testandi,

*promotionem & favorem irritandi,
benevolentiam perpetuam incitandi*

hasce primitias immolare

voluit, debuit

RESPONDENS.



ANALYSIS
 EVANGELII
 in Festo
 ASCENSIONIS CHRISTI.

Marc. 16. à v. 14. ad usq. ad finem.

περλεγομένα.



Arca Noæ post quadraginta
 dierum iactationem in diluvis
 demum stetit in montibus Arme-
 nie Gen. 8, 6. Arca Testamenti
 cum diu in castris & papilionibus habitasset,
 demum gloriosè in templum Salomonis infer-
 tur, 1. Reg. 8, 4. Iesus post resurrectionem qua-
 draginta diebus conversatus cum suis discipu-
 is demum sedit ad dextram Patris, cui meritò
 illud Psaltis acclamatur: Surge Domine in
 requiem tuam & arcam sanctificationis tue,
 Psalm. 132, 8. Hoc quando & quomodo factum
 fuerit,

Cc

fuerit,

*fuert, habetur uberius declaratum in historia
Ascensionis.*

THESIS I.

In qua proponitur partim Christi valedictio, quæ habet instructionem, qualis est omnium hottium debellatio, ubi discipulorum exprobratio v.14. In quo circumstantia, respectu temporis: Novissimè. *Per quod quidam intelligunt diem Ascensionis propter contextum, sed rectius videtur intelligi posse pro tandem; sive factum sit in vespera Paschatos, sive hoc ipso tempore Ascensionis: cum non solum Apostoli dubitaverint, sed etiam alii ex quingentis illis fratribus, quibus Apostoli tempus & locum manifestationis mandato Christi indicaverant, eosdemq; in montem secum duxerant. Ut discamus tandem venire auxilium uti informationis, ita etiam glorificationis, Psal. 37, 37.*

2. Respectu loci & situs: recumbentibus illis undecim. *Non quidem discumbentibus cœnandi gratia, sive intelligatur apparitio in Festo Paschatos, siquidem circa multam noctem ea facta; sive etiam in monte, cum inibi non comederint, sed sedentibus, quemadmodum ἀνακειμαι & ita usurpatur, Marc.*

Marc. 5, 40. Unde Chrysologus serm. 83. inquit: Num quid prandentibus? Fratres, hoc non erat discumbere, sed jacere: nec convivii erat chorus ille, doloris erat ille conventus: Ibi panis non erat gaudii, sed mœroris: Ibi crucis felle, non vini dulcedine pocula miscebantur. Undecim verò nominantur quia Judas se suspenderat: non quòd isti soli inibi fuerint. siquidem ex Paulo 1. ad Corinth. 15. 6. plus quam quingentos fratres manifestationi interfuisse constat, sed quia primarii erant, reliqui vulgares, uti colligitur ex Act. 11, 1. Act. 15. 33.

3. Et effecta in genere, ratione sui: apparuit. Hoc est, se manifestavit, & tandem valedicere voluit. Quidam arbitrantur de subito hoc factum esse, & stetit inter ipsos: quidam cum Paulus in 1. ad Corinth. 15, 6. dicat de super ἐπ' αὐτῶν, opinantur, quòd Christus in aëre sublimis super hos discipulos steterit, & postea se ad eos demiserit. Ut discamus Christi benignitatem, qui voluit adhuc dum illos informare & confirmare.

4. Ratione aliorum: & exprobravit. Idq; graviter: hoc enim verbum innuit, quemadmodum usurpatur Matth. 11. 20. Et discamus, quòd idcirco Dominus discipulos increpaverit, dum corporaliter reliquit: ut verba

C 6 *

qua

quæ recedens diceret, in corde audientium ar-
 etius impressa remanerent, habet Greg. hom.
 29 super Evang. Noli ergò, inquit Bernh.
 ser. 1. de Ascensione Dom. indignari de cœ-
 tero, si e quoq; aliquando Christi vicarius in-
 crepaverit. Id enim exhibet, quòd ascensurus
 ab eis in cœlum suis Christus legitur exhibuisse.

5. In specie quoad materiam, tum: in-
 credulitatem eorum. Sive fidei parvitatem,
 uti Syrus habet, quemadmodum & Marc. 9.
 24 usurpatur. Atq; convenienter Christus
 hanc incredulitatem increpavit ad designan-
 dum, quod gentes, ad quas erant Apostoli mit-
 tendi, essent merito increpanda à Deo, & con-
 demnanda si non crederent Apostolis, habet
 Lyra, de his, quæ ipsi viderant.

6. Tum: & duritiem cordis. Dum ad
 credendum tardi, Luc. 24, 25. Exprobrat, in-
 quit Hieronym in Marc. 16. incredulitatem
 ut succedat credulitas; exprobrat duritiem
 cordis lapidei, ut succedat cor carneum chari-
 tate plenum. Ut discamus omninò talia argu-
 enda esse, exprobranda & redarguenda.

7. Quoad causam impulsivam: quia
 videntibus eum exsuscitatum non credide-
 runt. Respuerant orationem angelicam; reje-
 cerant testimonia Maria Magdalena, Marc.
 16, 11.

16, 11. Thomas postulabat demonstrationes
 cap. 20, 15. dubitabant adhuc dum quidam,
 Mal. 28, 17. Interim resurrectio ipsa illis dubi-
 tantibus per multa argumenta demonstrata,
 quæ dum nos legentes agnoscimus, quid aliud
 quam de illorum dubitatione solidamur? Mi-
 nus enim Maria Magdalena mihi presticit,
 quæ citius credidit, habet Gregor. hom. 29.
 super Evang. quàm Thomas, qui diu dubita-
 vit. Ille enim dubitando vulnerum cicatrices
 tetigit, & de nostro pectore dubitationis vulnus
 amputavit. Nos verò jam confirmationem, du-
 bitationem & cordis duritiem vitare debemus.

8. Et ministerii confirmatio, ad quod
 pertinet generaliter & directè verbi præ-
 dicatio v. 15. In quo ablegatio sive modus
 in genere: euntes. Sperabant quidem Apo-
 stoli dominium, sed Christus imponit ipsis mi-
 nisterium: sperabant dignitates, sed Christus
 imponit difficultates; iubentur ire, non quòd
 per pedes semper, quamvis illi fecerint, sed pro
 ratione locorum & circumstantiarum, cum &
 Christus ipse asina vectus, ubi ingressus ultimò
 Hierosolymam.

9. In specie ratione objecti: in mun-
 dum universum. Ut sint testes ad extrema
 terre Act. 1, 8. & quò constaret Christi benefi-

cia esse universalia, & pertinere ad omnes populos, Luc. 2, 10. dum per Christi mortem sublata maceries, quae inter gentes & Iudaeos erat, Ephel. 2, 12. quod praecipue & speculariter Apostolis dictum, dum immediate ab ipso Christo vocati, dum in mundum universum ablegati. Atq; ita totus mundus subiectus Christo, quemadmodum etiam fecerunt, uti constat ex Eusebii lib. 3. Hist. Ecclesiast. c. 1. & l. 2. c. 3.

10. Ratione officii, in quo administratio quoad effectum: praedicate. Hoc est, docete ex mandato, quemadmodum vox graeca arguit. Sunt ergo Apostoli non rerum Domini, qui occupare debeant regna, sed praedicones & quidem publici, Matth. 10, 27. Malach. 4, 17. *κρηπίδων* enim publice aliquid promulgare significat, Genes. 14, 43. 2. Paral. 24, 9. Non quasi non scribere etiam debeant, dum mandatum Apoc. 1. 19. 2. 1. sed quia praedicare vel voce vel scriptis. Unde August. lib. 1. cap. 35. de consensu Evangelist. inquit: quicquid ille de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit.

11. Quoad objectum, tum accipiendum: Evangelium. Id est, omnem doctrinam, per synecdochen: quemadmodum & alibi ita

bi ita sumitur vox Evangelii, ita ut non excludatur legis doctrina: potissimum tamen intelligit propriè Evangelium de persona vel de officio, & de beneficiis Christi. Ut discamus, quodnam sit officium ministrorum Ecclesie non dominari, sed predicare. Unde Bernhard. lib. 2. de consideratione ad Eugen. inquit: *Forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio.*

12. Et objectum recipiendum: omni creaturæ. Hoc est, omnibus hominibus, uti Apostolus interpretatur 1. Corinth. 1, 2. sive omnibus gentibus, ubi loquitur Matthæus. Omnis enim creatura nomine signatur homo, habet Greg. hom. 29. in Evang. Tunc omni creatura predicatur Evangelium, cum soli homini predicatur: quia verbum ille docetur propter quem in terra omnia creata sunt, & a quo omnia per quandam similitudinem aliena non sunt; sive iam obtemperent, sive non; habet Theophyl. quia Deus vult omnes homines salvos fieri, in 2. Timoth. 2, 4. omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3, 7. ut omnium misereretur, Rom. 11, 32. dum enim in finem filius Dei in mundum venit, Joh. 3, 16. quia etiam predicarunt sermonem ubiq; Marc. 16. v. ult. omni creatura que sub cælo est, Coloss. 1, 23.

sacō ut quo non venit pes Apostolorum vene-
rit sonus eorum.

13. Et Baptismi administratio v. 16.
In quo affirmativè ratione subjecti quoad
medium recipiens; qui crediderit. Primum
enim doceri debuerunt & in numerum disci-
pulorum (prout Matthæus habet) recipi. Quod
intelligendum tamen est de adultis; quamvis
nec infantes excludantur à fide, dum Christus
loquitur non de plantata, sed de plantanda Ec-
clesia; cum Christus expressè dicat eos credere,
Matth. 18 6. & Iohannes in utero ad presenti-
am Christi. Luc. 1, 15. subsiliens. Ut discamus
fidem omninò requiri. Præterea sub voce ma-
sculina continetur etiam fœmininum genus
per synech. mulieres etiã doceri debent, Matth.
28, 9. cum Apostoli baptizarint eas, Actor. 8.
12. & 16, 15. & licet non circumcisa fuerint in
veteri testamento, tamen in fœdere fuerunt,
quia ex circumcisis natae, Exod. 12, 48.

14. Quoad medium offerens; & ba-
ptisatus fuerit. Nam ordinariè non adest fi-
des absq; baptismo, sed hic est certum testimo-
nium & organon, respectu etiam infantum,
qui doceri nondum possunt. Unde etiam voca-
tur Baptismus regenerationis, Joh. 3, 5. sancti-
ficationis, Eph. 5, 26. adoptionis, Gal. 3, 20. sa-
lutis.

lutis, Tit. 3, 5. Ideoq; quod matrix est embryoni,
habet Chrysoft. hom. 25. in Johan. hoc fidei
est aqua Baptismi: siquidem in aqua fingitur
& formatur: & Beda ex Zach. 13, 1. inquit:
Est fons patens contra peccata, in quem pec-
cator descendit, purificatus ascendit; descen-
dit filius mortis, ascendit filius resurrectionis;
descendit filius prevaricationis, ascendit filius
reconciliationis; descendit filius ira, ascendit
filius misericordiae: descendit filius Diaboli, sed
ascendit filius Dei.

15. Et praedicatum ab effectu: salvus
erit. Atqui si exigitur, à nobis fides, offertur sa-
lus. Preciosum est quod promittitur nobis gra-
tis sit, quod iubetur, habet August. ser. in die
Ascens. Syrus emphaticè vertit in presenti,
hoc est, habet vitam aeternam, sicut Christus
dicit Joh 3, 26. Rationē exponit Joh. 1. ep. 511.
dum inquit, vitam aeternam dedit nobis & haec
vita in filio eius est. Unde sequitur, qui habet
filium habet vitam & beatitatem, Rom. 4, 6.
Non enim tantū est nudum signum Baptismus,
sed regimur per eundem, Joh. 3, 9. sanctifi-
camur, Ephes. 5, 26. salvamur, Tit. 3, 5.

16. Negativè sive per antithesin respec-
tu subjecti: qui verò non crediderit. Ubi
Baptismus emittitur, cum non sit eadem neces-

ficias, sed tantum ordinata; fidei verò absoluta: dum impossibile est absq̄ fide placere Deo Hcb. 11, 6, Alias ex parte Dei non itidem, cum & possit & velit agere extraordinariè. Unde August. lib. 4. c. 22. de Baptismo contra Donatistas, tum Sacramentum Baptismi impletur invisibiliter, cum id ipsum non contemptus religionis, sed articulus excludit necessitatis. Ideoq̄ infantes non baptisati Christianorum habent promissionem, Matth. 18, 14. & Marc. 10, 14. Et sicut in latrone, quòd ex Sacramento Baptismi defuerat, complevit omnipotentis benignitas, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus, qui non baptisati moriuntur, eadem gratia omnipotentis explere credenda est, quòd non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam, nec ore confiteri possunt ad salutem; siquidem & ipsi filii sunt Dei donum, Psalm. 127, 4.

17. Et respectu prædicati ab effectu: condemnabitur. Si enim in solo Christo fide apprehenso consequi possumus remissionem peccatorum, justificationem & vitam æternam, utiq̄ qui non credit in Christum, non consequitur remissionem peccatorum, nec iustitiam, nec vitam æternam, Joh. 3, 36. innuens sola

lam interdum fidem sufficere ad salutem, & si-
ne ipsa sufficere nihil, uti habet Bernh. ep. 77.
Ut discamus ad salutarem Baptismi fructum
fidem requiri: non enim profunt Sacramenta
Christi, habet August. Tract. 53. in Joh. ubi
resistitur fidei Christi. Fides autem Christi
est credere in eum, qui justificat impium, cre-
dere in Mediatorem, sine quo interposito non
reconciliamur Deo.

18. Specialiter & indirectè majora, mi-
raculorum collatio v. 17. In quo conjun-
ctim: signa autem eos, qui crediderint hæc
sequentur. Ubi per signa intelliguntur mira-
cula; per credentes verò non omnes ad finem
usq; mundi perseverantes, sicut Joh. 17. 20. sed
aliqui eorum, qui cum ipsi credant, aliis etiam
Evangelium predicant, inter quos principatū
habuerunt Apostoli; Ideoq; Christus indefini-
tè nominat credentes, quia licet certis quibus-
dam personis daretur, id tamen erat commune
totius Ecclesie bonum; & quæ miracula ede-
bantur ab uno, ea valebant ad omnium confir-
mationem, uti & vox credentium usurpatur.
Matth. 21, 21. Marc. 11, 23. Joh. 14, 12. 1. Cor.
13, 2. Num quid verò, querit Gregor. hom.
29. in Evang. Fratres mei, qui ista signa non
facitis minimè creditis? sed hæc necessaria in
exordie

exordio Ecclesie fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cum arbusta plantamus tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea iam in terra coaluisse videmus; & si semel radices fixerint irrigatio cessabit. Secunda autem Ecclesia quotidie spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat. Quae miracula tantò maiora sunt, quanto spiritua- lia; tantò maiora sunt, quanto per haec non corpora, sed animae suscitantur. Nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ait August. lib. 1. retract. cap. 13. ne animus semper visibilia quaereret, & eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravit. Alias ubi veritas non colitur, si quae sunt miracula, non Deus, sed Diabolus operatur, cum multa sint prodigiosa & Pseudoprophetae communia, Deut. 13, 1. Matth. 7, 22. 2. Thess. 2, 9.

19. Distinctim amplificatur per distributionem effectorum quoad Dæmonas; In nomine meo Dæmonia ejicient. Hoc est, virtute & potentia mea. Adeò enim Jesu nomen auditum fugat noxios Spiritus, imponit silentium vatibus, haereticos inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit

can-

cantiones, non horrore nominis, sed majoris licentia potestatis, ait Arnob. lib. 1. adv. Gent. Quemadmodum id fecit Paulus, Act. 19, 12. Act. 16, 18. Philippus, Act. 8, 7. Apostoli, Act. 5, 16. & est etiamnum primum opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio, in qua sine dubio ejiciuntur Dæmonia, dum eradicantur corde peccata, habet Bernh. ser. 1. in Ascens. Dom.

20. Quoad linguas: linguis loquentur novis. Nempè antea ipsis incognitis. Id quod factum est in festo Pentecostes in Apostolis & congregatis aliis Act. 2, 4. in domesticis Cornelii, Act. 10, 46. in discipulis Ephesinis, Act. 19, 6. & qui in Christum credunt, habet Bernh. serm. 1. de Ascens. Dom. Linguis & loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta proparentum lingua loquuntur, ad excusandas excusationes in peccatis, Quin, habet Greg. homil. 29. fideles, quiq; jam vite veteris secularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, conditoris sui laudes & potentiam, quantum prevalent, narrant, quid aliud faciunt, nisi linguis novis loquuntur? Ut discamus etiam donum linguarum esse donum Spiritus Sancti.

21. Quoad minora, multorum charismatū donatio v. 18. In quo respectu sui absolutè: & serpentes tollent. *Quemadmodum fecit Paulus in Insula Melita, Act. 28. 5 Et quemadmodum legimus Hilarium fecisse, quod eo viso serpentes in fugam coniecti. Serpentes verò sunt duplices, sensiles & spirituales, habet Theophyl. in Marc. Quiq; ergò bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt serpentes tollunt, ait Greg. hom. 29. Et ubi compunctione cordis & oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivam patiantur, & iam sint posteriora pejora prioribus, serpentes tollant necesse est, ut venenata suggestiones extinguantur, ait Bernh. ser. 1. de Ascens. Domini.*

22. Conditionatè quoad antecedens: & si mortiferum quid biberint. *Hoc est venenum, uti Syrus interpretatur. Quod fit etiam, si pestiferas persuasiones audiunt, ait Greg. hom. 29. super Evang.*

23. Quoad consequens: non eis nocet. *Uti legimus realiter factum in Johanne, si historia Abdia credendum. Spiritualiter fit, si persuasiones pestiferae ad operationem pravam minimè perveniant, habet Gregor. hom. 29.*

24. Re-

24. Respectu aliorum, est morborum sanatio, quoad modum: super ægrotos manus imponent. Idq̄, factum à Petro, Act. 9, 34. à Paulo. Act. 28, 8.

25. Quoad effectum: & benè habebunt. Hoc est, sanabuntur. Quòd donum sanationis aliquando in Ecclesia post Apostolorum tempora viguisse constat ex Jac. 5, 14. Spiritualiter fit quoties, qui, dum proximos suos in bono opere confirmari conspiciunt, ejus tota virtute concurrunt, & exemplo suæ operationis illorum vitā roborant: qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi quòd super ægrotos manus imponant? ut benè habeant, ait Gregor. sed omnia tamen ista in nomine Christi, hoc est, ex mandato, & autoritate & virtute Christi, uti Irenæus lib. 2. c. 57. monet & docet.

26. Partim est Christi ascensio, cujus forma & ratio v. 19. In quo tum tempus: Postquam Dominus locutus iis. Cum nimirum divina sua mandata & pronunciata publicasset. Atq̄, ita videmus, Christum ad ultimum usq̄, visibilis sui discessus momentum in docendi munere perstitisse. Ut discamus ipsius humanitatem.

27. Tum modus in genere: assumtus est,

est. Hoc est, receptus à tota Trinitate assumptionem illam faciente à seipso, & à nube; quemadmodum etiam expresse hoc addit Lucas Act. 1, 9. Dum audis elevatum, ait August. de temp. serm. 176. agnosce militia cœlestis obsequium; Idq̄ videntibus discipulis, quod per peculiarem dispensationem factum, Cyrillo notat. lib. 12. cap. 53. iæ Johan. Si enim Christus gloriam illius corporis explicare voluisset, oculis hominum cerni non potuisset; ideoq̄ factum revera juxta modum comprehensibilem corporis naturalis, per (ratione termini à quo) localem translationem & visibilem elevationem.

28. In specie quoad locum: In cœlum. Gloriosum, quod electis preparatum, Matth. 5, 12. Non autem, quòd ibi prius non fuerit; siquidem personaliter ubiq̄, uti constat ex Joh. 3, 13. Johan. 6, 62. sed naturaliter; imò super omnes cœlos, Eph. 4, 10. dum excelsior cœlis factus, Hebr. 7, 26. Cyprianus in expos. symb. inquit: Ascendit in cœlos, non ubi verbum Deus ante non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in Patre; sed ubi verbum caro factum, antea non sedebat. Ut & nos ascendamus in cœlum. Et licet sui gratia quidem ascenderit, ut in gloriam intraret, Luc. 24, 26

35

24, 26. & nostri tamen etiam gratia victor,
Hoi, 13, 14. ut pro nobis interpellaret apud pa-
trem, Rom. 8, 24. ut Spiritum Sanctum daret,
Joh. 12, 26. Illuc ergo sequamur, habet Grego-
hom. 29. corde, ubi eum corpore ascendisse cre-
dimus: desideria terrena fugiamus, fidem
spem, gratiam & dignitatem in caelis habituri
uti ait Tertull. in Apolog. cap. 1.

29. Et effectum: Iedit à dextris Dei.
Hoc est, ad maiestatem & potentiam secundum
humanam naturam euectus est. Inde Ru-
dolph. Ardens ait, per dextra sessionem quali-
tatem solemus intelligere. Illum enim, quem ad
dextram nostram sedere facimus, quasi honore
nobis adaequamus. Christus ergo recte dicitur
ad patris dextram sedere, quoniam cum eo
regnat in gloria & maiestatis aequalitate. Neq;
enim ad dextram sedere minus est quam ad
sinistram, cum dexter locus semper fuerit ho-
noratior, uti constat ex omnibus sacris & pro-
fanis autoribus. Sedere verò ait Rudolph.
Ardens fratres mei, est regnantis, quiescentis
& iudicantis. Recte ergo Redemptor noster
post passionem, ascensionemq; suam sedere scri-
bitur, quoniam post laborem requiescit, post
prelium regnat, postquam iudicatus est iudi-
cat: in quo exemplum nobis proponitur, quoni-

D d

am, si

am si ad imitationem Mediatoris nostri hic
 laboramus & patimur, cum eo quiescemus; si
 ad imitationem ejus hic judicamur, cum eo ju-
 dicabimus. Simus ergo participes laboris, si vo-
 lumus esse participes honoris: Simus consortes
 poena, si volumus esse consortes gloria. Unde à
 Tertull. lib. de car. Christ. cap. 16. dicitur
 suggestus paterna claritatis. Gloria à Deitate
 inseparabilis à Basil. lib. 4. contra Eunom.
 Divinitatis majestas ab August. lib. contra
 Felician. c. 11. Honorificentia Deitatis, à Da-
 masceno lib. 4. cap. 2. orthod. fidei. Eminen-
 tia super omnem principatum à Bernh. ser. 73.
 sup. Cap. id quod factum, uti dictum, secun-
 dum humanam naturam, quia divina natura
 quod ^{hominem} docet lib. 5. contra Euttych. non
 indiget honoribus sublimari aut dignitatis pro-
 fectibus augeri; secundum carnis naturam est
 honoratus, coronatus, melioris nominis digni-
 tatem adeptus. Idq; nostri causa, ut interpellat
 pro nobis, Rom. 8, 34. ut dominetur in medio
 inimicorum, Psalm. 110, 2. ut nos aliquando in
 regno gloria sessuros credamus. Unde Maxim.
 hom. 3. in Fest. Pasch. ubi portio mea regnat,
 regnare me credo: ubi dominatur sanguis meus,
 dominari me confido: ubi glorificatur caro
 mea, me gloriosum fore cognosco.

30. Et sequela seu præstatio v. 20. in quo de Apostolis ab effectu respectu modi: inde autem egressi prædicaverunt. Non quidem statim, sed post Sp. Sancti effusionem, juxta mandatum, Act. 1, 4. Manserunt verò a die Ascensionis usq³ ad diem Pentecostes Hierosolymis in precibus, meditatione verbi, in concordia, in expectando promissi complemento.

31. Respectu loci: : ubique. Quia in omnem terram exivit sc³ ius eorum, & in fines omnis terræ verba eorum, Rom. 10, 18. Col. 1, 33. expressè habetur, quod omni creature prædicatum, quæ sub cælo est, verbi veritatis, Evangelium. Unde Tertull. in Ap¹ g. cap. 21. discipuli diffusi per orbem ex præ Magistri paruerunt. Sic Just. in dial. co¹ Triph. inquit: Ne unum est quidem genu³ mortali-um, sive barbarorum, sive Græcorum, sive aliorum quocunq³ appellentur nomine, &c. inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes & gratiarum actiones Patri & fabricatori omnium non fiant. Ambros. in c. 10. ubiq³ audita est, & ad omnem locum pervenit prædicatio nominis Christi. Ubi enim prædicantis hominis præsentia defuit, sonus tamen famâ pervenit. Initium quidem fecerunt prædicationis

Evangelica Hierosolymis juxta vaticinium,
Esa. 2, 3. & mandatum, Luc. 24, 47.

32. Et respectu Christi, quoad causam, in benedictione: Domino cooperante. *Per Dominum hic intelligitur Christus, ut ex precedentibus constat. Idem ergo Dominus, qui in caelo ad dextram Dei sedet, predicationi Apostolica ubiq; cooperatus est. Unde Arnob. lib. 2. adv. gentes: Itane istud non divinum aut sacrum est, aut sine Deo eorum tantas animorum fieri conversiones, aut cum carnifices unci aliq; innumeri cruciatus impendeant credituris. veluti quadam dulcedine atq; amore correpti cognitae accipiant rationes, atq; mundi omnibus rebus preponant amicitias Christi? Ut discamus universale caeli terraeq; dominum Salvatoris nostri. Cooperatus vero non in aequalitate ordinis, sed in felicitate successionis, Deus enim dat incrementum, dum Paulus plantat, Apollo rigat, 1. Corinth. 3, 6.*

33. Et in confirmatione: & sermonem confirmante per subsequencia signa. *Predicantibus enim Apostolis, verbum Christi ministravit, habet Rudolph. Ardens. Unde etiam signa Apostoli vocantur miracula, 2. Corinth. 12, 12. ut sint in signum non credentibus, sed incredulis, 1. Cor. 14, 22. & Chryostom. hom.*

hom. 21. oper. imperf. inquit: Christum miraculis prestitisse doctrinae Evangelii auctoritatem, cum videret futuros esse operis divini derogatores, habet Arnob. lib. 1. adv. gentes. Et iste usus fuit miraculorum in Ecclesia primitiva. Modo vero querere miracula, miraculum est. Nunc non fiunt, ne animus semper visibilia quereret, & eorum consuetudine humanum genus frigeret, quorum novitate flagravit ait August. lib. de vera relig. cap. 25. Interim tamen miracula istis temporibus fiunt, ut nec omnia ea cognoscere, nec ea, quae cognoscimus, enumerare possimus. Demonia ejiciuntur jeunio & oratione, Matth. 17, 12. agri oratione fidei salvantur, Jac. 5, 15. serpens antiquus predicatione verbi & meditatione fugatur Jac. 4, 7. Ut nunc in Christi nomine talia fieri miracula, credendum omnino sit, habet August. de tract. lib. 23.



N O T A E.

I.

EXprobrat incredulitatem) Considera Christi severitatem in reprehendo; ut discas acri reprehensione dignos eos, qui vacillant in fide.

D d 3

Mit-

Mittit in totum orbem) Considera Apostolici officii esse non uno in loco, sed ubiq; Evangelium predicare; ut discas **D E U M** omnes voluisse vocare,

Assumtus est in cœlum) Considera Christum ascendisse in cœlum, ut nobis monstraret viam; ut discas si vis esse Christianus, cœlestia gaudia querere.



C A S U S.

An propter inscitiam in officio constitutus redarguendus?

Non videtur; 1. Quia omnes erudiendi cum omni lenitate 2. Tim, 2, 24.

2. Christus ipse dicitur non venisse ut contendat & clamet, Matth. 12, 19.

3. Imprudentia succurritur l. 108. ff. de R. I. unde & delictum per impudentiam commissum, mitius punitur, ex l. quamvis. II. ff. de in jus vocando. & ex l. 3. §. adjectio. ff. ad l. Cornel. de sicariis.

4. Mensori ex imperitia nihil imputari potest ex l. 1. §. 1. ff. si mentor falsum mod. quia sibi imputet, qui non magis industrium homi-

homi-

hominem adhibuit arg. §. fin. ff. de societate
& l. cum manda. 23. ff. de Minor.

5. Vergit in contemptum officii, qui vi-
tandus.

Videtur : 1. Quia Christus hic expro-
bravit incredulitatem, que orta ex inscitia
scriptura, dum nolebant credere Christi resur-
rectionem, Marc. 16, 14.

2. Inscitia & imperitia culpa annume-
ratur, §. præterea. inst. ad L. Aquili & in l.
idem Juris ff. ad L. Aquili l. imperitia ff. de
R. I. Culpa autem redarguenda & culpanda ex
l. Aquilia.

3. Rusticitati non semper parcendum,
l. 2. C. de in jus vocando.

4. Neq; exiguam culpam committit, qui
sibi temerè artificium arrogat, cujus tamen im-
peritiam se novit, arg. l. 8. ff. ad l. Aquil. & ju-
dex, qui per imprudentiam male judicavit, ex
quasi delicto obligatus est, in princ. inst. de
obl. ex quasi delicto.

5. In Novell. 123. c. 1. docetur idoneum
requiri ad officium : non autem idoneus cul-
pandus, imò vero removendus, c. quamvis 25.
fin. X. de ætate & qualit.

Ad contraria : 1. Fall. secundùm quid,
si nimirum sunt adhuc dum discentes adver-
sarii.

sarii: Si verò in officio, tunc utiq; etiam, quod Christus dixit ad discipulos, valet dum vocat stultos, Luc. 24, 25.

Ad 2. Fall. causæ: Christus non venit contendere, id est importunè agere, sed humaniter informare: interim tamen corripuit sæpe, uti dictum, suos discipulos.

Ad 3. Fall. secund. quid: si sine dolo & sine culpa. At negligere officium culpam habet. Propterea etiam punitur, licet mitius puniatur.

Ad 4. Fall. causæ. Aliud enim est in iis, in quibus quis scienter imperitum eligit; aliud si informatus negligit officium.

Ad 5. Fall. conf. Non officium culpatur, sed vitium; non autoritas, sed persona redarguitur. Non enim culpa alterius debet redundare in alios. Unde, quod rationes contrarie habent, imperitus etiam removendus ab officio. Finckelthuisius c. 6. de jure patrona. n. 63. Iniquum enim ut imperiti Magistris, novi antiquis preferantur, rudes emeritis c. statuimus dist. 6. Neq; est injuriandi animus, sed emendandi. Ubi autem non est animus injuriandi, ibi nulla injuria l. 3. §. 1. ff. de injuriis. Omnis enim injuria presumitur facta injurandi animo A. Faber ex l. Claro de fin. 9. n. 1. in fin.

DIves & ille domi gryllos habet, omnis
quando

Non bene succedunt, quomodo forte vovee.
Sic & discipuli Christi, dum credere nolunt:
Quos tamen hinc duris increpat ille modis.
Dixit &: in mundum totum vos ite! creatas
Res Evangelium rite docete meum.
Credens & baptisatus salvabitur; at qui
Non credit damnas incolet antra Stygis.
Signaq; credentes divina sequentur, ut ipsos
Damonas ejiciant, & nova lingua sonet.
Tollent serpentes; nec iis nocitura venena;
Imponentq; manus, sanus & ager erit.
Dixerat hac Dominus, caelos assumtus in ipsis
Nubibus, ad dextram sedit & inde DEL.
Hi sunt egressi, Domino docuere juvante
Et multis signis verba probante sua.
Sic caelum scandit Jesus ejusq; palatia pandit,
Ditia quò pius hac quisquis adire queat.
HEYMERICHIUS monstrat: sed talia per-
gat! & absq;
Gryllis: dis caeli quibit adire domus,
optat

GUEINZIUS.

Π Ἄμμακαρ αὐτὸς ἐφύ βροτὸς ὅς παρὸς
αἰερεται ὑψῶ,
ἕτως ὁ χερσὸς παρὸς τε θεοῖο δόμον;
ἕως


ὅσους τῆς γῆς ἀνελήφθη ἔς εἶπὸν ὄλυμπον
βαπτίζειν πᾶσαν ἠδὲ κέλευσε κτίσιν.
ταῦτα λέγεις πλείστοισιν ἀδελφε· ἀέξε καὶ ὀρ-
μῆν.

ὡς πῶτε βαπτιθεὶς δῶμα θεοῦ βλέπῃς.

Ex fraterna mente

f.

Johannes Heymrich N. S.



Als alte Römer Volck/vorzeiten wenn es Siege
Erhalten/un erlegt viel tau ent Mann in Krieger/
Hat stattlichen Triumph dem Feldhern als
er heim
Reist zur Quiriner Stade erhitte/vnd lobes-
K im.

Es ist der Siegesman mit purpur anacbus
Vnd vierer weissen Ross ganz prächtig rein bestuhet
Beachtet er mund um mit ruffenden aefang
Süß du Siegesman/darzu mit Trommet klug.
Wett der Triumph mehr/de unser Triumphierer
Kuff klug wolckenpracht der rechte Siegesfuhrer
Durch dünne Luft beacht/mit Donner zeiget Er
Er sey der Sieges Mann Hell/Lobes Teuffels beir.
Er fährt mit Triumph/die himmlische geferech
Beachte ruffende/sie stimmen mit gelehren
Die fähig Zunaen an/sie Jauchzen hier ist Sieg/
Hinfahrt ist nicht in vor dem frommen Hellen Kreta.
Erworben wiederun die rechte Himmels bahne/
Vobt HEYMRICH zeigt uns das ewoe Vaterland
Dort so gestüntes HEYMRICH durch starker Sinn verstand.

Berg Christoph Dockhorn.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017




EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C



Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

INVITIARUM
 GELICARUM
 TIVALIUM
Disquisitio XV
 PRÆSIDE
 ANO GUEINZIO
 mnasii Hallensis
 Rectore
Respondente
 MUELE Heymrich
 cogattersleb. Sax.
o Ascensionis Christi.
 . O. R. cl. b. c. III.
 LLIS SAXONUM.
Heredum Melchioris
Oelschlegel.

